BIBLIOTHEQUE NATIONALE MANUSCRITS R.F.

iram tuam que devoravit eos sicut stipulam. i. ita facile sicut ignis stipulam devorat. In spiritu furoris tui congregate sunt aque. Videtur quod deberet dicere in spiritu dulcoris tui quia ex dei gratia aque congregate sunt quasi murus hinc et inde ut filii israel possent transire vadi tendum. quod idem effectus est dulcedinis hebreis et furoris egyptiis congregatio enim aquarum predicta graciosa fuit hebreis prebens eis transitum. sed dira fuit egyptiis quia filii israel transitum habuerunt male tractantibus eorum. et quia propter dictam congregationem secuti sunt hebreos et submersi. Stetit unda fluens i. aqua de natura sua fluida stetit contra naturam suam sicut murus erecta. Congregate sunt abyssi per hoc enim quod retraxerunt se aque ut preberent medium iter elevate sunt aque in altum in medio maris quia ex tali congregatione non exierunt ripas maris. Dixit inimicus in corde suo et ore. Dividam spolia cum redierit victor. implebitur anima mea i. voluntas mea. interficiet eos manus mea i. potestas exercitus mei. hoc cogitabat pharao sed vulgariter dicitur. multum remanet de cogitatione fatui ut sequitur. Flavit spiritus tuus et operuit eos mare quia sicut ad flatum venti palee moventur ita ad nutum dei mare reversum est super eos. Submersi sunt quasi plumbum per gravitatem plumbi intelligitur quod erant peccatis valde aggravati et submersione digni. Quis similis tui in fortibus domine quasi diceret nullus quia finiti ad infinitum nulla est comparatio. Magnificus in sanctitate facta enim hominum aliqui licet sint magna tamen sunt mala sed dei facta non possunt esse nisi sancta. Terribilis scilicet egyptiis. et laudabilis scilicet hebreis. et faciens mirabilia in utrisque. sed in egyptiis ad eorum destructionem in hebreis ad eorum salvationem. Extendisti manum tuam i. manum iustitie tue ad vindicandum que tamen cessat a punitione malorum videtur esse contracta. et devoravit eos terra non quod intraverunt viscera terre sed quia descenderunt ad terram que erat in fundo maris ita operti ac si fuissent a terra absorti. Dux fuisti per angelum precedentem et per columpnam ignis et nubis

viam die nocteque ostendere. ut patet ex predictis. populo quem redemisti non auro vel argento sed mirabilibus signis. Et portasti hic consequenter subditur facto laudis ex beneficiis futuris et est hic prophetia cum laude. Et primo ponitur beneficium quod erat ultimum in executione sed primum in intentione scilicet introductio filiorum israel in terram promissionis et specialiter in ierusalem ubi erat edificandum templum ad divinum cultum quod vocatur habitaculum sanctum dei et hoc est quod dicitur. et portasti eum i. portabis. loquitur enim scriptura de futuro per modum preteriti propter certitudinem prophetice predestinationis quia illud quod est preordinatum a deo fieri est ita certum ac si iam esset factum. In fortitudine tua i. per signa divine fortitudinis deduxit eos dominus ad terram promissionis ut patet Iordanis siccatione et in regum fortissimorum debellatione et in subversione civitatis Iericho et similibus. Ad habitaculum sanctum tuum i. ad locum ubi postea fundatum est postea templum. Ascenderunt populi et irati sunt. quia amalechite et populi qui erant eis confederati audientes quod filii israel transierant mare rubrum et erant in deserto eis propinquo irati sunt timentes ne invaderent terram eorum et antequam essent magis fortificati voluerunt eos delere. Et ascenderunt ad pugnandum cum eis ut habetur infra xvii ca. Dolores obtinuerunt habitatores philistiim ex prosperitate filiorum israel tum quia fuerant antiquitus molesti patri eorum ysaac ut habetur gen. xxvi. tum quia habitabant infra terminos terre eis promisse. Tunc conturbati sunt principes edom robustos moab obtinuit tremor ne filii israel invaderent eos tamen frustra timuerunt quia dominus inhibuit filiis israel ne pugnarent contra eos. Obriguerunt omnes habitatores chanaan tum quia audierunt quod dominus siccasset aquas maris ante eos et veniebant ad terram chanaan tremor irruit super eos [illegible] quod Raab meretrix dixit exploratoribus filiorum israel. Iosue ii ca. [illegible] et elanguit cor nostrum nec remansit vobis spiritus ad introitum vestrum et hoc designatur cum dicitur obriguerunt